

futurum non experiatur); Clemens IX. cum magna applicatione, particularem Cardinalium, & Prælatorum, aliorumque peritorum virorum, Congregationem instituit, quæ Leuaminum, appellata est; Verum, siue ob pontificatus breuitatem; Siue quia naturaliter est impossibile validum ac robustum reddere illud corpus quod iam exangue, & emaciatum, sit cum eisdem antiquis viribus proprijs, absque noua illarum refectioe, quinimodò cum nouis euacuationibus, vel emissionibus; Idcirco nullus huc vsque effectus visus est, cum impossibile sit curare morbum contractum, nisi cesset causa productiua eiusdem; Idque pendet à Dei misericordia, restituendo scilicet pacem & tranquillitatem, à qua pendet Communitatum restauratio.

Super huius autem Clementinæ Constitutionis, ac huius Congregationis praxi, commentaria ad id proficua, aliasque 13 instructiones ædidi quidam modernus Vrbeuetanus, qui dictum munus vnus ex Agentibus generalibus Communitatum aliquo notabili tempore exercuit. D

D. Cobell. ad Bull. boni regimin.



De Congregationibus Aquarum, fontium, & viarum; Et de plerisque alijs, quæ regimen temporale Status Ecclesiastici concernunt, nempe Confinium, & Annonæ &c. & similibus.

S V M M A R I V M.

1 **D**e pluribus Congregationibus, quarum aliquæ non sunt in usu.

- 2 De illis Annonæ, & gratiæ.
- 3 De impressione camerali.
- 4 De Congregatione viarum, & pontium.
- 5 De Congregatione aquarum, earumque materia.
- 6 De quibus non referat inspicere in ista relatione, & de illius fine.
- 7 De Congregatione confinium.
- 8 De altera reformationis Tribunalium.

D I S C. XXVII.

1 **V**amplures alias Congregationes, pro regimine principatus temporalis, in eadem Constitutione, A. Sixtu V. erexit, quarum aliquæ non sunt in usu, &

aliquæ si sunt, attamen adeo raro sunt, vt penè pro non extantibus videantur; Nèpe classis maritimæ, seu triremium, dum istarum curam habent in Curia Thesaurarius generalis, & quidam alij ministri Camerales; Prout pariter non extat Congregatio studiorum vel sapientiæ, cuius administrationem, & curam habet Collegium Aduocatorum consistorialium, de quo agitur infra, agendo de Aduocatis, & Procuratoribus alijsque Curialibus; Congregatio verò Annonæ, quamuis extet, adhuc tamen quodammodo, pro non extanti, in Curia haberi videtur, præsertim quoad forensia, dum ea est sub regimine Præfecti, vt infra in eius particulari rubrica aduertitur B, vbi insinuatur forensis quæstiones, quæ coram eo 2 super annonaria materia contingere solent; Idemque respectu gratiæ Urbis, quæ regitur etiam per Præsidentem, de quo pariter habetur in dicta rubrica C; Vnde propterea non nisi penuriæ temporibus audiri solet huius Congregationis nomen vel conuocatio pro economicis potius, quàm pro forensibus.

Prout etiam in usu non est Congregatio typi seu impressionis cameralis, dum ad vnum ex appaltibus cameralibus, ea redacta est, pro lucro quod resultat à iure priuatiuo imprimendi Constitutiones 3 Apostolicas ac bannimenta, aliasque publicas prouisiones, necnon Rotæ decisiones, P. 2. Relatio Q 2 fiones,

A. eius const. 74.

B. infra in eo discursu in quo agitur de varijs Præsidentibus.

C. ibidem.



siones, & informationes, quæ pro causarum defensione dandæ sunt in Tribunalibus, vnde propterea, cum res redacta sit ad mercimonium, seu appaltum, penè corrupta est antiqua Vaticana, adeò celebris impressio.

Item aliqua maior eorum, ad quos pertinet, applicatio ex zelo desideranda videtur circa impressionem Bullarum, ut scilicet benè distinguerentur illæ Constitutiones, quæ respiciunt Principatum Ecclesiasticum, seu regimen Ecclesiæ vniuersalis, ab illis, quæ respiciunt Principatum temporalem, segregando eas quæ non sint in vsu, vel moderatæ; Ac etiam non permittendo impressionem aliquorū privilegiorum particularium, vel confirmationum aliquarum constitutionum Religionum cum similibus rebus, quæ illi operi nimium incongruæ sunt.

Congregatio verò viarum, & pontium, quamuis vigeat, nimium tamen raro fit, adeòt penè ignota in Curia videatur, cū se non ingerat in Vrbe, & districtu, sed pro reliquo Statu; Vnde propterea forenses controuersie audiri solent in Tribunali Ædiliū seu Magistrorum viarum, & coram earundem viarum Præside, qui Iurisdictionem habet, & cognitionem huiusmodi causarum per vniuersum Statum extradistrictum in prima instantia; In Vrbe verò, & districtu in secunda & in gradu appellationis à præfatis Ædilibus, alia verò instantia pertinet ad Tribunal Camera, ut iudiciorum Ædiliū, & Præsidis particulari rubrica inferius habetur, ibique enunciantur forenses controuersie, quæ in ista materia cadere solent. D

Aquarum verò Congregatio, ex aliquibus Cardinalibus, & Prælatibus, cum mixtura aliquorum peritorum, constituta est, illaque viget quidem, sed raro habetur, eamque adesse in Curia causant solùm continuæ controuersie inter Bononienses, & Ferrarienses super diuisione aquarum cuiusdā parui fluij seu torrentis, qui Rhenus dicitur, & qui ratione situs sui vel alteri territorio hyemali tempore cum eius inundationibus præiudicia causare solet; Idque præsertim magis fortè contouere videtur illam emulationem inter has duas Ciuitates,

quæ penè generalis, & connaturalis est vbique, & præsertim in Italia, inter respectiue magnas vel medias, aut paruas ciuitates adiacentes; Seclusa enim ista controuersiarum occasione, quamuis in alijs partibus Status Ecclesiastici, & præsertim in ea quæ Clanarum dicitur, à quibus inundationes Tyberis Vrbi, & agro Romano, adeò præiudiciales resultare solent, eadem controuersie oriuntur; Attamen istud, politicum seu prudentiale potius, quam forense negotium videtur; Forenses autem controuersie, quæ inter priuatos contingunt, super vsu, vel diuisione aquarum, tractantur coram iudicibus vel in Tribunalibus ordinarijs more aliarum priuatarum forensium quæstionum, ut in materia seruitutum aduertitur, vbi de quampluribus causis concernentibus hanc materiam aquarum. E

Idemque dici potest de aliquibus alijs Congregationibus, extraordinarijs, vel ordinarijs ignotis, quæ habeantur pro eodem regimine temporali; Vnde propterea, parum immò nihil refert eas diligenter inquirere vel referre, Præsertim quia huius relationis finis vel effectus est, instruere forenses, quibus in Romana Curia cōtingat, causas peragere, ut sciāt, earum proprias ac meliores vias, & ne à malis causidicis, vel negotiorum gestoribus decipiantur; Ideoque dictas Congregationes, illaque Tribunalia refert examinare, in quibus negotia forensia, vel respectiue gratiosa agantur.

Adest quoque quædam alia Congregatio quæ Confinium dicitur, constituta ex vno Cardinali, & ex Thesaurario generali, & Aduocato, & Commissario Camera, cum mixtura aliquorū Prælatū, pro Papæ arbitrio, pro decidendis illis controuersijs, quæ inter Communitates, vel Barones oriri solēt super confinibus territoriorum; Nimiū autem raro teneri solet, adeòt penè ignota pariter videatur; Ea tamen, speciem iudicialis, & contentiosi Tribunalis habere videtur, disputando formiter cum Aduocatis, & Procuratoribus in contradictorio, & cū compilatione processus, super probationibus hinc inde, in illis controuersijs, quæ (licet raro), super ista confinium materia

ca.

D. infra in d. discursu in quo agitur de Præsidibus.

E. tit. de seruitut. disc. 25. cum seqq.

cadunt, ut quadoque practici.

Adest etiam quædam Congregatio super reformatione Tribunalium, ut omnino Pōtifices facere cōsueuerūt; Ac præsertim, vltra antiquiores, Constitutiones Alexādi VI., & liorū, habemus recētiore, Pij IV., & Pauli V. scū quibus Tribunalia reguntur; Sed quamuis plurimum antonorum spatio de hac reformatione actū sit, & agatur, nihil tamen huc vsque conclusum est.



### De Congregationibus Baronum, & Montium, ac etiam Computorum.

#### S V M M A R I V M

- 1 Congregationes montium, & Baronum sunt diuersæ, sed tractantur unite.
- 2 Ex quibus constituentur.
- 3 An Auditor Thesaurarij habeat votum.
- 4 De Congregatione Baronum, & qualis sit eius munus, & de quibus cognoscat, & vbi tractetur de eius materia.
- 5 De Congregatione montium, & de quibus cognoscat, & vbi tractetur de eius materia.
- 6 De eisdem disputationibus Congregationis Baronum.
- 7 Qua die teneantur.
- 8 De Congregatione computorum.
- 9 Ad quem ab istis Congregationibus appellatur.

### DISC. XXVIII.



Congregatio Baronum, & Montium; Quamuis omnino diuersæ sint, diuerso tempore institutæ, diuersaque agant negotia; Attamen, ad instar cardinalitiarum Congregationum, Episcoporum, & Regularium, pro vnica vulgò haberi videntur, eo quia ex eisdem personis constitutæ sunt, eademque die, ac in eodem loco habentur, atque vtriusque materiae negotia audiuntur, & deciduntur.

Constituuntur etenim, ex Thesaurario generali, qui est vtriusque caput, seu Præfectus, & in cuius domo sunt, nec non ex aliquo numero vario (pro Papæ arbitrio) Clericorum Camera, & ex Aduocato fisci, ac etiam ex Commissario Camera, & ex Auditore Thesaurarij, de quo sub Iudice lis est, an habeat votum decisuum vel consultuum tantum; Curialibus peritis in diuersas abeuntibus sententias, super retroacti temporis praxi; Recens autem, & actualis præferre potius videtur, ut habeat quoque votum decisuum, quod cum alijs numerandum sit, pro resolutione capienda.

Cum autem de Congregatione Baronum, erecta pro executione, & obseruātia Constitutionis Clementis VIII. contra Barones, ut ad propria vel eorum maiorum debita dissoluenda cogantur, fideicommissis, & inuestituris, alijsque iuribus proprijs non obstantibus, & quæ Constitutio, vulgò Bulla Baronum, appellatur, particulariter ac plene actum sit sub materia feudali; Idcirco ibi de eius Instituto, & praxi, ac de quæstionibus cadentibus super eiusdem Bullæ interpretatione, facile est videre, ne adeò longa superflua repetitio fiat eorum, quæ iā dicta sunt, ac promptè in dicta sede habentur. A

Quoerò ad alteram Congregationem montium, pro ipsorum reductione, ac natura, & privilegij pro libertate, seu commercio, pariter actum habetur in sede Regalium, quoniam cum sint iuracum Principe, inter Regalia merito recen-

A. sub tit. de feud. disc. 73. & seqq.